

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0845

Lunedì 13.12.2021

Ritus De Institutione Catechistarum a cura della Congregazione per il Culto Divino e la Disciplina dei Sacramenti

PONTIFICALE ROMANUM

EX DECRETO SACROSANCTI ŒCUMENICI CONCILII VATICANI II INSTAURATUM AUCTORITATE PAULI
PP. VI PROMULGATUM

FRANCISCI PP. CURA RECOGNITUM

DE INSTITUTIONE CATECHISTARUM

EDITIO TYPICA

MMXXI

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO

ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

DECRETUM

Ministerii Catechistarum institutione peracta ac disciplina a Summo Pontifice Francisco instaurata per Litteras Apostolicas *Antiquum Ministerium*, die 10 mensis maii 2021 Motu proprio datas, Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum ritus apparavit de institutione Catechistarum.

Huiusmodi ritus Summus Pontifex Franciscus auctoritate Sua approbavit evulgarique iussit, ita ut a die 1 mensis ianuarii 2022 lingua latina adhibeantur, lingua autem vernacula a die quem Conferentiæ Episcopales pro sua dictione statuerint, postquam translationes in linguas vernaculas et adaptationes rituales approbaverint et confirmationem aut recognitionem a Congregatione de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum obtinuerint.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Ex ædibus Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, die 3 mensis decembris 2021, in memoria sancti Francisci Xavier, presbyteri.

✠ Arturus Roche

Præfectus

✠ Victorius Franciscus Viola, O.F.M.

Archiepiscopus a Secretis

Caput I

DE INSTITUTIONE CATECHISTARUM

INTRA MISSAM CELEBRANDA

1. Ad ritum peragendum parentur:

a) ea quæ pro Missæ celebratione necessaria sunt;

b) Pontificale Romanum;

c) Crux Catechistis tradenda;

d) sedes pro Episcopo;

e) sedes pro Catechistis instituendis, in apto presbyterii loco sic dispositæ, ut actio liturgica a fidelibus bene conspici possit;

f) si Communio sub utraque specie distribuitur, calix sufficientis magnitudinis.

2. Dicitur potest Missa pro ministris Ecclesiæ vel pro laicis, vel pro evangelizatione populorum, vel pro nova evangelizatione, mutatis, præsertim in quibusdam orationibus, genere aut numero, pro cuiusvis circumstantiæ opportunitate, cum lectionibus propriis, colore albo vel festivo adhibito.

Opportune Episcopus instituet Catechistas in ipsa parœcia ubi perseveranter adlaboraverunt et a fidelibus cognoscuntur.

Occurrentibus vero diebus qui sub nn. 1-9 tabulæ dierum liturgicorum recensentur, dicitur Missa de die.

Quando Missa pro variis necessitatibus vel ad diversa non dicitur, una e lectionibus sumi potest ex iis quæ in Lectionario pro ritu institutionis proponuntur, nisi occurrat dies qui sub nn. 1-4 tabulæ dierum liturgicorum recensetur. 1

3. Ritus initiales et liturgia verbi, usque ad Evangelium inclusive, fiunt more consueto.

4. Textus qui in ritibus institutionis proponuntur aptandi sunt mutatis genere et numero.

5. Dicto Evangelio, Episcopus sedet ad cathedram vel ad sedem aptiore loco paratam, accipit mitram et convenienter baculum. Omnibus item sedentibus, diaconus vel presbyter ad hoc deputatus candidatos vocat, dicens:

Accédant qui [-æ] instituendi [-æ] sunt in ministério Catechistarum.

Candidati nominatim vocantur. Singuli autem respondent:

Adsum.

Et ad Episcopum accedunt, cui reverentiam faciunt et ad sedes suas redeunt.

6. Tunc Episcopus homiliam habet, in qua tum Sacrae Scripturae textus prolati tum ministerium Catechistae populo illustrantur. Quam homiliam concludit his vel similibus verbis, candidatos ipsos alloquens:

Fílii [et Fíliæ] caríssimi,

Dóminus Iesus Christus, ante réditum suum ad Patrem, discipulis suis mandávit ut Evangélium prædicarent usque ad fines terræ. A die Pentecóstes Ecclésia, Spíritu Sancto suffúta, hoc mandátum fidéliter implévit, omni témpore et loco, fidem tradens per innumerábilium téstium verba exemplúmque. Ipse Spíritus Ecclésiam varietáte charísmatum suórum pro commúni bono ditáre non désinit.

Utpote partícipes múneris Christi sacerdótis, prophétæ et regis, baptizáti omnes suas partes actívas habent in Ecclésiæ vita et actióne. Aliqui, inter eos, singulárem vocatiónem accípiunt ad ministéria ab Ecclésia institúta exercitánda.

Nunc quidem vos, qui iam assídue óperam impénditis in christíanam communitátem, ad stábile Catechistæ ministérium vocámini ut spíritum apostólicum valde aláriter vivátis, iuxta exéplum illórum virórum mulierúmque qui Paulum aliósve apóstolos adiuvérunt ad Evangélium diffundéndum.

Ministérium vestrum in profúnda oratiónis vita semper consístat, in sana doctrína ædificétur et a germáno zelo apostólico animétur.

Hómnes longe fortásse versántes, ad Ecclésiam adducétis; in verbo Dei tradéndo, impénse cooperabímur; sensum ecclésiæ locális, cuius paroécia velut célula est, constánter colétis.

Fídei testes, magístri et mystagógi, cómites et pædagógi in nómine Ecclésiæ docéntes, operam vestram consociáre debébitis cum mínistris ordinátis in váriis apostolátus formis, corresponsábiles missiúnis a Christo Ecclésiæ commissæ, semper paráti ad respondéndum omni poscénti vos ratióne de ea quæ in vobis est spe.

7. Allocutione expleta, Episcopus, dimissis baculo et mitra, surgit, omnesque cum eo. Candidati ante ipsum genua flectunt. Episcopus fideles ad orandum invitát, dicens, manibus iunctis:

Dóminum, fratres caríssimi,

supplíciter deprecémur,

ut, quos [-as] ad ministérium Catechistarum elégit,

sua benedictióne replére dignétur,

et, grátia Baptísmi suffúltos [-as],

ad fidéliter ministrándum in Ecclésia N. N. confirmet.

Tunc omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant.

8. Deinde Episcopus, stans et manus extensas tenens, dicit super candidatos orationem benedictionis:

Pater,

qui partícipes missiónis Christi Fílii tui nos facis

et multiplícibus Spíritus donis Ecclésiæ tuæ próspicis,

bénédic ✕ hos [has] fílios [fílias] tuos [tuas]

ad ministérium Catechistárum eléctos [eléctas].

Præsta, quæsumus, ut pénitus baptísmum suum vivant,

cum pastóribus cooperántes

in divérsis apostolátus genéribus

ad Regnum tuum ædificándum.

Per Christum Dóminum nostrum.

R/. Amen.

9. Deinde omnes sedent. Episcopus sedet et accipit mitram. Candidati surgunt et accedunt ad Episcopum, qui singulis tradit crucem, dicens:

Accipe hoc fídei nostræ signum,

cáthedram veritátis et caritátis Christi,

eúmque vita, móribus et verbo annúntia.

Catechista respondet:

Amen.

Interim, præsertim si multi sunt candidati, cani potest psalmus 98 vel alius cantus aptus.

10. His expletis, Missa prosequitur more solito vel symbolo, si dicendum sit, vel oratione universali, in qua peculiare sunt supplicationes pro Catechistis nuper institutis.

DE INSTITUTIONE CATECHISTARUM**CUM CELEBRATIONE VERBI DEI PERAGENDA**

11. Episcopus induere potest crucem pectoralem, stolam et pluviale coloris convenientis, super albam; aut tantum crucem et stolam super rochetum et mozetam assumere; hoc in casu non utitur mitra et baculo.

12. Ante salutationem Episcopi, celebratio initium sumere potest antiphona vel cantu apto.

13. Deinde Episcopus dicit:

Orémus.

Deus, qui ministros Ecclésiæ tuæ docuisti

non ministrári velle, sed fratribus ministráre,

illis, quæsumus, concéde et in actióne sollértiam,

et cum mansuetúdine ministérii in oratióne constántiam.

Per Christum Dóminum nostrum.

R/. Amen.

14. Liturgia verbi eadem ratione ac in Missa peragitur, cantibus inter lectiones opportune insertis.

15. Institutio Catechistarum fit modo supra, nn. 4-9.

16. Ritus institutionis concluditur oratione universalis et oratione dominica. Deinde Episcopus accipit, si ea utitur, mitram et, extendens manus, salutat populum, dicens:

Dóminus vobíscum.

Omnes respondent:

Et cum spírito tuo.

Tunc Episcopus manibus super fideles benedicendos extensis, prosequitur:

Pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum,

custódiat corda vestra et intellegéntias vestras

in sciéntia et caritáte Dei

et Fílii eius Dómini nostri Iesu Christi.

Omnes respondent:

Amen.

Tunc Episcopus, accepto, si eo utitur, baculo, dicit:

Benedícat vos omnípotens Deus,

ter signum crucis super populum faciens, addit:

Pater, ✠ et Fílius, ✠ et Spíritus ✠ Sanctus.

Omnes respondent:

Amen.

Deinde diaconus, manibus iunctis, versus ad populum dicit:

Ite et Ecclésiæ Dei servíte.

Omnes respondent:

Deo grátias.

et recedunt.

Caput III

LECTIONES BIBLICÆ

LECTIONES E VETERE TESTAMENTO

1. **Ex 3**, 1-6. 9-12: «*Ego ero tecum*».

In diebus illis: Pascebat Moyses oves lethro...

2. **Is 52**, 7-10: «*Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri*».

Quam pulchri super montes pedes annuntiantis...

3. **Sap 13**, 1-9: «*Si potuerunt æstimare saeculum, quomodo huius Dominum non invenerunt?*».

Vani sunt natura omnes homines...

LECTIONES E NOVO TESTAMENTO

1. **Act 18**, 23-28: «*Ostendebat Apollo per Scripturas esse Christum Iesum*».

Facto Antiochiæ aliquanto tempore, profectus est Paulus perambulans ex ordine...

2. **1 Cor 1**, 22-31: «*Nos prædicamus Christum crucifixum*».

Fratres: Iudæi signa petunt...

3. **Phil 4**, 4-9: «*Quaecumque casta, hæc cogitate*».

Fratres: Gaudete in Domino sempre...

PSALMI RESPONSORII

1. **Ps 15**, 1-2a et 5. 7-8. 11

R/ (cf. 5a): Tu es, Domine, pars hereditatis meæ».

2. **Ps 18**, 2-3. 4-5

R/ (5a): In omnem terram exivit sonus eorum.

3. **Ps 99**, 2.3.4.5.

R/ (3c): Nos populus eius et oves pascuæ eius.

ALLELUIA ET VERSUS ANTE EVANGELIUM

1. **Io 8**, 12: Ego sum lux mundi, dicit Dominus:

qui sequitur me, habebit lucem vitæ.

2. **Io 12**, 26: Si quis mihi ministrat, me sequatur, dicit Dominus:

et ubi sum ego illic et minister meus erit.

EVANGELIA

1. **Lc, 12**, 39-48: «*Omni cui multum datum est, multum quæretur ab eo*».

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Hoc scitote...

2. **Io 12**, 44-50: «*Ego lux in mundum veni, ut omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat*».

In illo tempore: Clamavit Iesus et dixit...

1 Cf. *Caeremoniale Episcoporum, Appendix II*.